



## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. IX. Ad quos pertineat potestas eligendi, si Capitulates inhabilem, sive postulandum, sine licentia, ac dispensatione Superioris, ad administrationem receprint?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quia facta est de indigno; hæc verò quia minor pars Capituli in eam consentit; cum enim in tali casu, quo indignum quidem, ignorantes tamen postulaverunt dux partes Capitularium, privatæ hæc non sint jure suo eligendi, consequenter à tertia parte electus, non est à majore parte Capituli, jus eligendi habentis, electus, ergo nulla est talis electio.

## § IX.

*Ad quos pertineat potestas eligendi, si Capitulares inhabilem, sive postulandum, sine licentia, ac dispensatione superioris, ad administrationem receperint?*

**R**esp. pertinere ad eos Capitulares, quamvis pauciores sint, qui non consenserunt, ut postularus, ante admissionem postulationis ad administrationem aliquam admitteretur; si verò omnes in eo admittendo consenserunt, & deliquerunt, ad superiorem, ad quem postulati admissio pertinet, devolvitur jus providendi tali Ecclesie *c. bona 23. h. e.* cum enim illi, qui talem admittunt ad administrationem ante postulationis admissionem, pro eâ vice privati sint jure eligendi, consequenter dicto modo fit devolutio, vide quæ in pari casu dicta sunt §. 7.

## SECTIO II.

*De electis, vel eligendis ad Pralaturas, & dignitates Ecclesiasticas.*

## §. I.

*De qualitatibus requisitis in eo, qui eligendus est in Episcopum.*

**Q**uatuor qualitates requiri in eo, qui promovendus est in Episcopum ex *c. cum incunctis 7. h. t.* patet, ætatis scilicet maturitas, morum honestas seu probitas, litterarum scientia, & ut sit legitimo matrimonio natus; si enim, ut Pontifex in hoc Capitulo loquitur, in promovendis ad quævis officia Ecclesiastica hæc qualitates requirantur, multò magis in Episcopo hæc requiri debent; & quidem circa ætatem statuit in hoc ipso Capitulo Pontifex *juxta Concil. Lateranensis decretum*, ut nemo in Episcopum eligatur, nisi annum ætatis 30. compleverit. De scientia verò, quamvis Pontifex asserat in *c. nobis 19. h. e.* desiderandam quidem eminentem, tolerandam tamen competentem, ut muneris sui necessitati possit satisfacere, ut dicit Trident. sess. 22. c. 2. de reform. & ideo vult, ut talis eligendus vel Doctor sit, aut Licentiatuſ in sacra Theologia, vel jure Canonico, vel saltem publico aliqujus Academia testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Qualis autem vitæ morumque probitas requiratur in eo, qui eligendus est in Episcopum, describit Sanctus Paulus ad Timoth. c. 3. & ad Titum c. 1. Quod autem ex legitimo Matrimonio natus esse debeat, qui in Episcopum est eligendus, ex *c. innotuit 20. h. t.* patet. & quamvis cum illegitimè nato dispensatum jam fuisset, ut ad alias dignitates Ecclesiasticas, Episcopali inferioribus, eligi posset, non tamen vi talis dispensationis eligi posset ad dignitatem Episcopalem, aut hac majorem, prout sumitur ex *citat. c. cum Vintoniensis.*

## §. II.

*De qualitatibus requisitis, in promovendis ad dignitates Episcopatu inferioribus, & ad beneficia curata.*

Eadem